

## De Naevii Lycurgo et Ennii Iphigenia.

---

Graecorum poetarum Lycurgum scripserunt Aeschylus (cf. quae verissime de Aeschylea fabula disseruit Welcker Trilog. p. 320 et Addit. p. 103 sqq.) et Anaxandrides comicus. Naevius minime Aeschyleam, sed Anaxandrideam fabulam expressisse videtur; nam apud Aeschylum Lycurgus Bacchi *praesentis* et in palatium ingredientis habitum admiratur, quum in Naeviana alius muliebrem *absentis* dei ornatum describat, ut imperfecta *habebat* et *erat* clare demonstrant, et tota fabulae compositio et orationis color, qualem e fragmentis cognoscere licet, minime severitatem tragoediae spirare videtur.

Fabula, nisi omnino fallor, ab admonitione ad venandum inceptit. Rex cum comitibus ad venationem proficiscitur, dum Edoni, e quibus chorus constat, in scaena remanent. Huc tria fragmenta referenda censeo, a Nonio vv. *ingenium, illucere* et *vitulantes* servata.

### I.

Vos, qui regalis corporis custodias  
Agitis, ite, ite actutum in frondiferos locos,  
Ingénio arbusta ubi nata sunt, non óbsita.

Nonius semel tantum *ite* habet, metro claudicante, quod ut restitueret Bothius pro *in* scripsit *indu*. *Ite* sic saepe repetitur, ut ap. Sil. It. X, 598. Pro *locos* Nonius *lucos* exhibet et pro *ubi nata vineta*; vera lectio iamdudum restituta

est, refragantibus Delrio et Scriverio. Verba minime regis, sed chori adhortantis videntur.

## II.

— Alis sublimés saltus illícite, ubi  
Bipedés volucres líno linquant lúmina.

Nonius habet: *sublime alios saltus*; nos Bothii coniecturam dedimus, qui putat *alios* ex *altos*, glossemate v. *sublimes*, ortum esse. Mihi aut *alios* e praegresso *alis* originem traxisse, aut e nominativo *alii* depravatum videtur: „Alis, alatoribus, qui dextra et sinistra plagarum sublata voce prohibent feras exire“ ait Servius ad Virg. Aen. IV, 121. Ad quem eundem Virgilii locum Ioan. Scoppa e fragmento sine auctoris nomine edito haec adfert: „Venatorum genera referunt esse quatuor, *investigatorum*, qui animalium vestigia investigant, *indicatorum*, qui latibula noverunt, *insidiatorum*, qui insidias et casses animalibus parant, *alatorum* vero, qui equo succussanti sensimque insultanti animalia terrent, ne aliorsum equi per medias tendiculas fugam arripiant.“ *Illicere* Nonius nostro loco *illaqueare* explicat. Omnino conferendum est initium Hippolyti Senecae, inprimis v. 43 sqq.

## III.

Ut ín venatu vítulantes éx feris

Locís nos mittant pénnis decoratós suis.

Sic locum restituit Bothius, quum apud Nonium pro *pennis* legatur *poenis* et vv. *feris* et *suis* alterum alterius locum occupaverint. Fortasse *suis* ante *locis* recte se habet et *feris* nihil aliud est, quam falsa lectionis varietas v. *suis* e margine in ordinem apto, ut librario videbatur, loco recepta. Verba ipsius regis comites adhortantis, ut e pronomine *nos* conicio, et cum fragmento praecedente coniungenda videntur.

---

Rex a venatione redit a choro salutatus versu Nonio v. *cette* laudato:

## IV.

Proín Dryante régem prognatúm patre  
Lycúrgum *cette*.

Cf. Senecae Hippol. 834: En, ipse Theseus terris reditus adest. Bothius ad Naevii locum haec annotat: „Verba Bacchi, ut videtur, Lycúrgum poscentis ad supplicium.“

Regem sequuntur comites, quorum nonnulli longius vando progressi Bacchum cum comitibus propter amnem incedentem viderant. Quorum unius, nisi mavis nuntii approperantis, sequentia sunt fragmenta.

## V.

— Risi égomet mecum, cásabundum ire ébrium.

Varro de l. l. VII. p. 538 Sp.

Ita codd. Flor. et Havn.; cod. B. pro *mecum* exhibet *me*. Bothius *mecum* eiecit. Hunc locum, quem Varro fabulae nomine omisso adfert, ad Bacchum pertinere certum est.

## VI.

Díabathra in pedíbus habebat et érat amictus epícroco,  
Pállis, patagiis, crocotis, málaciis, mortuálibus.

Priorem versum adfert Varro l. l., alterum Nonius vv. *caltulam* et *crocotulam*; duos versus ego primus coniunxi. Pro *in* Bothius nulla iusta causa adductus *indu* scripsit; *erat* omittit cod. Flor. Locus aperte comicum habet colorem, quum loquens persona, quae fluentem Bacchi ornatum viderat, omnes longas et muliebres vestes sibi notas ad unum Bacchum quasi transferat. Inde plurales *pallis*, *patagiis* etc. quoque explicationem accipiunt. *Diabathra* sunt *muliebres soleae*, ut dicit auctor orationis de haruspicum responsis

(21, 44), cuius locus dignus est, qui huc ascribatur: „P. Clodius a crocota, a mitra, a muliebribus soleis purpureisque fasciis, a strophio, a flagitio, a stupro est factus repente popularis.“ *Epicrocum* explicat Festus „genus amiculi crocota tinctum, tenue et perlucidum.“ Similem vestem Bacchum Alexandriae habuisse ex Athenaeo (V p. 198 C.) annotat Welcker Addit. p. 110 not. 29. *Pallae* matronarum erant. Liber Pater palla Veneris indutus a Plinio (XXXVI, 4) commemoratur. Ad v. *malacia* recte adferunt *μαλακαῖσι κρόκαις* Pindari (Nem. X, 81); videtur proprium amiculi genus fuisse, quod idem de v. *mortalia* valet. Crocota amictus Bacchus in scaena apparere solebat Polluce (IV, 117) auctore; exemplum Aristophanis Ranae (cf. v. 46) praebent. Ceterum cf. Welcker ad Philostr. p. LX.

## VII.

Nam ut ludere laetantes inter se vidimus

Annem propter, creterris sumere aquam ex ponto.

Nonius, qui hunc locum v. *creterra* servat, propter *annem* et *ponte* legit. Bothius nimis audacter hoc modo versus restituere voluit:

Nam ut ludere propter annem inter se vidimus

Laetantes et creterris aquolam sumere

Ex fonte.

*Pontus* hic, ut in illo Livii Andronici *ponti maria alta* et in Virgiliano *pontus maris*, undas significat, et fluminis quidem undas. Quomodo lectio *ex fonte* Bothio placere potuerit, quum paullo ante *annem* commemoretur, haud video. Ceterum haud dubium est, de Bacchis hic sermonem esse.

## VIII.

Alté iugatos angues in sesé gerunt.

Nonius v. *angues* ita locum recte adfert, de quo emendando certarunt interpretes. Primum pro *iugatos* scribunt

*iubatos*, conferentes Plautinum locum Amph. 956; tum pro *in sese* Scriverius *infestae s. in sinu*, Bothius *inlaesae* voluit. Swoboda e Scriverii coniectura vertit: Hochkämmige Schlangen tragen sie im Busen, ita ut *altiubatos* legendum sit. *Jugati* optime dicitur de anguibus tortis corpusque totum cingentibus; eodem modo voc. *iugo* utuntur de vitibus canterio iunctis. Sensus totius loci hic est: In ipsarum corporibus Bacchae gerunt angues usque ad caput sese cingentes.“ Eodem modo Catullus Epithal. Pel. et Thet. 259 de Bacchis dicit; Pars sese tortis serpentibus incingebant,

## IX.

— Ignótae iteris sumus; túte scis.

Non vv. *ignotae et iteris*, Prisc. VI p. 695 P.

Verba finem trimetri iambici constituunt. Is, qui loquitur, narrat, Bacchas se de itinere rogasse.

## X, XI.

Longe lateque trans nostros fervere.

Tuos qui celsos terminos tutant.

Non vv. *fervit et tutant*.

Priore versu Grotius pro *trans* emendavit *Thracia*, Bothius *Thracas*; posterior emendatio verior videtur, quamquam de ea quoque iure dubitari potest. Altero versu de finium custodibus sermonem esse apparet. Utrumque ad perturbationem Bacchi adventu exortam describendam pertinere puto.

---

Lycurgus Edonos ad Bacchum eiusque comites persequendos, eorum castra comburenda et vineta tota Thracia vastanda adhortatur, quo haec fragmenta pertinere mihi videntur:

## XII.

Ut videam,

Volcáni opera haec fieri flora.

Non. v. *fimbriae*. Verba ad duos trimetros iambicos pertinent. V. *flammis*, quod vulgo post *haec* legitur, mihi glossema ad *Volcani opera* pertinens videtur. Alibi idem Naevius: *Volcani flamma* dicit. *Flora* i. e. florea. Cf. Serv. ad Virg. Aen. XII, 65. Lucretius IV, 452 habet *florentia lumina*.

## XIII.

Sine férro, pecua ut, mánibus eant.

Non. v. *pecua* sic locum adfert: s. f. *pecua manibus ut ad mortem meant*. Bothius voluit: *ut pecua manibus aut ut pecuda Maenades*, Bergk in Museo Rhenano Philol. T. III p. 75 *manibus pecua ut*. Mihi *ad mortem* glossema v. *manibus* videtur, quod ipsum vocabulum a librario omissum postea ab alio ex alio libro haud suo loco additum est. *Manibus* i. e. ad manes; *sine ferro* i. e. inermes. Verba Lyeurgi sunt, Bacchas occidi iubentis. 1)

## XIV.

— Ducíte eo argutilíngues mutas quádrupedes.

Ita cum Bothio locum restituo. Apud Nonium: *ducite eo cum argutis linguis* legitur. Verba de pardis aut leaenis intelligenda, quibus vectus Bacchus advenerat (cf. de hac re Welcker l. l. p. 110); has bestias abduci in nescio quem locum iubet. Perperam interpretes verba ad venationem referunt. Swoboda miro modo vertit:

Führt dahin

Geschwätziges und stummes Wild zugleich.

Chorus discedit; rex solus in scaena remanet. Mox nonnulli regis comites Silenum vinctum apportant, qui cum rege, ut in comoediis fit, litigat. Huc sequentia refero fragmenta:

1) [Add. Grauert Historische und philol. Analekten I p. 201 f.]

## XV.

Dic quó pacto eum potíti, pugna án dolis ?

Nonius v. *potior eam rem*. Bothius, qui *pugnad* legit, „verba Lycurgi,“ inquit, „cum captus ad eum Bacchus adduceretur.“ Nos de Sileno locum intelligimus.

## XVI, XVII, XVIII.

Sil. Péssimorum péssime, audax, gáneo, lurco, áleo,  
Endocoepta pér te temeritér face missa. Tú cave,  
Sís, tuam conténdas iram cóntra cum ira Liberi.  
O'derunt di hominés iniuros. Lyc. Égone an ille iniúrie  
Facimus ?

Verba: *pessimorum* — *aleo* e Naevio laudat Festus v. *aleonem* Glossarium Förnerii Merula ad Enn. p. 192 teste haec habet. Endocoepta *ἐγγειρήματα* Naevius Lurco, lurco, aleo — cave sis.“ Recte Merula in Glossarii loco ab iis, qui fragmenta collegerunt, neglecto pro priore *Lurco* emendavit *Lycurgo*. Verba: *cave - sis* laudat Nonius v. *contendere* et idem reliqua v. *iniurie*. Versus, ut eos hic dedimus, coniunxit Merula, nisi quod pro *homines iniuros* dedit *hemones iniuriosos*. Comicum in illis *ganeo, lurco, aleo* quivis facile cognoscit.

## XIX.

Líberi, quaquá incedunt, ómnis arvas óbterunt.

Non. v. *arva* habet: Naevius Lycurgo lib. II. quaque incedunt. Felicissime locum iam restituit Mercerus. Bothius ad versum stabiliendum legit *quaquad*, sed Naevius Cicerone teste ad poetas pertinet, qui hiabant. Silenus narrat vastationem vinetorum, quam ipse viderat.

## XX.

— Iam ibi nós duplicat advénientis timós, vapos.

Non. vv. *vapor* et *vapos*. Grotius, quem sequuntur Scriverius et Vossius, emendavit:

Iam vim in nos duplicat adveniens ignis vapos, ut Lycurgus a furiis persecutus haec verba proferat. Bothius: *advenientis duplicat nos* voluit. Verba recte se habent et ad tetrametrum trochaicum catalecticum pertinent. *Duplicat* i. e. dupliciter vexat. Silenus haec dicit: „a tuis, Lycurge, fugati ad castra fugimus, ubi nos simul timor et vapor ex incendio ortus turbarunt.“

## XXI.

Ne ille mei feri ingeni atque animi ácrem acrimóniam.

Non. v. *acrimonia*. Scriber. scribit: *nae et fert*, Bothius: *nae limet feri ingenid*. Locus recte se habet; nam aut verbum, quod desiderant, ut *accuset, mihi exprobet*, altero versu secutum, aut omnino omissum est, ut in oratione concitata fieri solet. Bothius ad h. l. annotat „Quod de Lycurgo dictum accipiatur.“ Perperam. Verba ipsius Lycurgi ad Silenum dicta sunt. *Ille est Bacchus*.

## XXII.

Séd quasi amnis cis rapida est, sed tamen in flexu flectitur.

Non. v. amnis. Librorum lectionem dedi, nisi quod *pro rapit restitui rapida est*. Vossius voluit:

Sed quasi

Amnis cum rapida'st, tamen in fluxu flectitur,

sive: Sed quasi amnis rapida tamen in fluxu flectitur.

Bothius coniecit:

Sic quasi amnis res rapit, sed tamen implexa flectitur. Opponuntur *cis* et in *flexu*; *cis* i. e. eo loco, quo iam nunc amnem videmus. Totius loci sensus hic est: „Quamquam amnis nunc rapidus est, tamen locus veniet, ubi ripa cogente flectitur.“ Sileni verba videntur, Lycurgum adhortantis, ut animum flectat, quum omnes, quamvis atroces, in ira et furora perseverare nequeant. Fortasse, ut Nestor in Iliadis libro undecimo ad hanc rem demonstrandam exemplis e pa-

trum memoria aut ex ipsius Bacchi peregrinatione desumptis usus est. Ad narrationem huc pertinentem refero fragmentum

## XXIII.

Iam sólis aestu cándor cum liquésceret,  
a Nonio v. *liquidum* servatum. Descriptio veris est; nam v. *candor* poeta glaciem significat.

## XXIV.

Vos, qui adstatis obstinati.  
Fest. v. *obstinato*. Sileni videntur a rege ad eos, qui adstabant, se convertentis.

---

Bacchus Edonis et Lycurgo levem Bacchicam immittit temulentiam et cum Bacchis et choro in scaena apparet. Laeta saltatione et hilari cantu fabula finit. Ex hac fabulae parte duo supersunt fragmenta :

## XXV.

Pergite, thyrsigeræ Bacchæ, modo Bacchico cum  
schemate.

Non. v. *schema*. Verba sic in versus digerenda :

Pergite, thyrsigeræ

Bacchæ, modo Bacchico cum schemate.

Prior versus e serie dactylica catalectica, alter e versu logaeodico, dactylo cum dimetro iambico catalectico et anacrusi, constat. Bergk l. l. sine iusta causa voluit *Bacchiaco*. *Bacchico cum schemate*, ut in Athamante Ennii (?) *Bacchico modo*. Chori verba sunt. Male Bothius: „Sic autem admo-  
nentur Bacchæ, territæ a Lycurgo.“

## XXVI.

Suavisonum melos.

Sic locum a Non. v. *melos* servatum recte restituisse videntur. Nonii libri: *suave summum melos*, unde Scriverius

*suavissimum melos*, Bothius *suave sumam* (aut *sume*; *summe* error typographicus videtur) *melos*. Sermo est de Bacchorum cantu, quem Attius in Bacchis (fr. 6) *acre melos* nominavit.

Fabulam Iphigeniae nomine inscriptam latinorum poetarum praeter Ennium solus, quod scimus, *Naevius* scripsit, e cuius Iphigenia unus tantum et corruptissimus quidem laudatur versus. Ennius libere Euripideam fabulam vertisse videtur. Primum ea videamus fragmenta, quibus respondentes Euripidis versus invenimus.

## I.

*Agam.* Quid noctis videtur? *Sen.* In altisono

Caeli cluqueo temo superat  
Stellas, sublime etiam cogens  
Atque etiam noctis iter.

Varro VII p. 353. Fest. v. *septentriones*.

Apud Varronem *temo superat*, ap. Festum *superat temo*, quod Bothius recepit. Vulgo legitur: *stellas, sublime cogens*; Scaliger, quem posteriores secuti sunt, emendavit: *st., cogens sublime*, Bothius, *st., sublimis agens itiner*. *Itiner* iam Scaliger voluit. V. *noctis* Bothius omisit. Varro locum Ennii nomine laudat, quod neglexerunt Vossius et Delrius, quorum hic ad incerta incertorum fragmenta, ille ad Naevii Iphigeniam eum rettulit. Versus Euripidei, quos libere reddidit Ennius, hi sunt:

*ΑΓ.* Τίς ποτ' ἄρ' ἀστὴρ ὄδε πορθμεύει;

*ΠΡ.* Σείριος ἐγγὺς τῆς ἑπταπόρου

*Πλειάδος ἕσσων ἐν μεσσήρης.*

## II.

Procede; gradum proferre pedum

Nitere. Cessas, o fidelis?

Verba *procede* — *cessas* Festus v. *pedum* habet. Interpretes Maii ad Virg. Ecl. V, 88: „Ennius in Iphigenia: Gradum proferre pedum nitere. Cessas, o fid . . .“ Lacunam supplevi, legens *fidelis*. Servus, quem hic alloquitur Agememno, se ipsum ap. Euripidem v. 44, 145 πιστόν dicit. Locus Euripideae fabulae nostro respondens hic est (v. 133 sq.):

ἀλλ' ἴθ' ἐρέσσω σὸν πόδα, γήρα  
μηδὲν ὑπείκων.

## III.

Thelis illi mater.

Varro VII p. 364. hunc locum, quem Vossius ad Achillem pertinere putat, Ennii nomine laudat. Respondet versus Euripideus (v. 181):

Τὸν ἂ Θετίς τίκτε.

Perperam. Turneb., Voss., Columna p. 219 et Bothius p. 68 ante *Thelis* addunt *ea*. „Antiqui, ut *Thetin Thelim* dicebant,“ inquit Varro de re rust. III, 9 „sic *medicam melicam* vocabant.“

## IV.

U't ego plectar, quód tu peccas, tú delinquis? ego árguar  
Pró malefactis? Hélena redeat, vírgo pereat innocens?  
Τύα reconciliέetur uxor, μέα necetur filia?

Rufinianus de figuris.

Librorum lectionem *plector*, *arguor* emendavit Bentleius Opusc. p. 488. Cf. Eurip. v. 356 sqq.:

εἴτ' ἐγὼ δίκην δῶ σῶν κακῶν ὁ μὴ σφαλεῖς;  
ἢ δάκνει σε τὸ φιλότιμον τοῦμόν; ἀλλ' ἐν ἀγκάλαις  
εὐπρεπῆ γυναιῖκα χροῖσεις.

## V.

Plebés in hoc regi antestat loco; licet  
Lacrumáre plebi, régi honeste nóñ licet.  
Hieronym. epitaphio Nepotiani.

Bothius nulla iusta causa commotus loco antestat legit.  
Cf. Eurip. v. 399 sqq.:

ἡ δυσγένεια δ' ὡς ἔχει τι χρήσιμον!  
καὶ γὰρ δακρῦσαι ῥαδίως αὐτοῖς ἔχει,  
ἀνολβα τ' εἰπεῖν· τῷ δὲ γενναίῳ φύσιν  
ἅπαντα ταῦτα (i. e. γένναια ἐστὶ).

## VI.

Cicero Tusc. I, 48, 116 „Iphigenia Aulide duci se immolendam iubet,“ inquit „ut hostium sanguis eliciatur suo.“ Recte Naekius de Duloreste Pacuvii p. III observavit, Ciceronem respicere ad canticum Iphigeniae. „*Ἀγετέ με τῶν Ἰλίου καὶ Φρυγῶν ἑλέπτολιν*“ sive haec ipsa Euripidis, id quod veri simillimum, sive latina Ennii ante oculos habuerit, e graecis expressa.“ Orellius v. *sanguis* uncis includit, „quum videatur versiculi tragici exitus, alterius initium.“ Locus Ennii sic se habuisse mihi videtur:

— ◡ — — ◡ — — Ut hostium sanguis  
Eliciat meo ◡ — ◡ — —,

respondens illis Euripideis vel in ipso metro (v. 1345 sq.):

Τὰν ἄνασσαν, τὰν μακαίραν, ὡς ἐμοῖσιν, εἰ χρεῖόν,  
αἷμασι θύμασι θέσφαθ' ἔξαλείψω.

Haec sunt, quae certis Euripideis versibus respondere videntur. Nunc ad reliqua accedamus.

## VII.

Ag. Quis homo te exsuperavit usquam gentium impudentia?  
Men. Quis autem malitia te?

Cic. Tusc. IV, 56.

Cicero his versibus laudatis addit: „Nosti, quae sequuntur: alternis enim versibus intorquentur inter fratres gra-

vissimae contumellae, ut facile appareat, Atrei filios esse.“ Unde patet, quantum erraverint viri docti, qui haec ad Attii fabulam *Atreus* inscriptam rettulerunt, quum Cicero dicat, Atrei filios his versibus invicem se contumeliis adficere. Bothius *malitia* ante *autem* posuit, Wolfius *te post quis*. Cf. Eurip. v. 279:

ποῦ δὲ κάλαβές νιν; ὧ θεοί, σῆς ἀναισχύντου φρενός.

## VIII.

Ménélaus me obiúrgat. Id méis rebus regimén restat.

Rufinianus de figuris.

Bentleius l. l. *restitat* coniecit, quod recepit Bothius. Sensus est: „Menelaus me increpat et filiam immolare iubet; sed hoc iussum meae fortunae obest.“ Haec Agamemnonem ipsi Menelao dixisse suspicor, pro pronomine *tu* eius nomine utens et fortasse voce id ridicula gravitate tollens.

## IX.

Quae núnc abs te viduae ét vastae sunt vírgines.

Serv. ad Aen. I, 52.

*Sunt virgines* dedi pro *virgines sunt*. *Vastae* Servius hic *desolatae* explicat. Fortasse hoc versu de Helena sermo est, quae tam multa mala Graeciae invexerit, Graecos e patria ad bellum evocans (cf. Eurip. v. 1156 sq.) et inde multas virgines viduas et desolatas reddens. Bothius haec annotat: „Sic maritum increpat Clytaemnestra propter susceptum ab eo bellum Troianum.“

## X.

Acherúntem obibo, ubi Mórtis thesauri óbiacent.

Fest. v. *ob*.

Iphigeniae versus est. Cf. Eurip. Iph. 124:

κατθανεῖν μὲν μοι δέδοκται

Naevius in suo epithaphio dixit *Orcinus thesaurus*.

## XI.

Utí qui nescit ótio

Plús negoti habét, quam quum est negótium in negótio :  
Nám cui quid agat, ínstitutum ést, nullo negótio

'Id agit, studet íbí, mentem atque ánimus delectát suum.

5 'Otio in ótioso ánimus nescit, quíd velit.

Hóc idem est meúm; neque domi nunc nós nec militiáe sumus;

'Imus hué, hinc ílluc; quum illuc véntum est, ire illínc lubet;

'Incerte errat ánimus; praeterprópter vitam vívitur.

Gell. XIX, 10.

V. 1 vv. *otio* et *uti* transposui, Bothius *utier* pro *uti*. Vossius :

Otio qui nescit uti, plus habet negotii.

V. 3 vulgo *in illo negotio*, unde Vossius *is nullo negotio*,  
Bothius *nullod is negotio*. Edd. Ven. 1494 et 1509 eam,quam dedi, lectionem habent. V. 4 Bothius legit *agit* etv. 5 *otiod*. Edd. Ven. pro *otio in otioso* perperam *otioso**iníto*, tum v. 6 *hoc idem est enim*, quod bene restituissemihi videor, emendans *meum*. Bothius *Hoc hac itidem est*.Pro *vítam* Bothius *vita*. *Praeter propter* nostro *auf und*

ab respondet et cum accus. iungitur, ut in Gellii loco

*praeter propter alia* invenimus. Verba allata e choro de-

sumpta esse dicit Gellius. Unde cum Vossio colligimus, cho-

rum apud Ennium non ex virginibus, sed e militibus graecis

constitisse, qui hoc loco de otio queruntur maris malacia

ipsis orto.

## XII.

In caelo quíd sit, observánt, Iovis

Quúm capra aut nepa áut exoritur nómen aliquod bélluae;

Quód 'st ante pedes némo spectat, cáeli scrutantúr plagas.

Cic. de re p. I, 18. Ultimus versus de div. II, 13 quoque  
legitur. *Observant* necessaria Orellii et Naekii emendatio pro*observat*. Quae vv. *in caelo* antecedunt, *astrologorum signa*recte Heinrichus glossema habet. *Belluae* eiusdem Heinrichiiconiectura pro *belluarum*. Cicero locum adfert hoc modo

„cuique in ore semper erant illa de Iphigenia Achillis,“ unde

patet haec esse Achillis verba in Iphigenia. Videtur Achilles

hic astrologos inridere et fortasse haec ad eum pertinuerunt

locum, quo omnes vaticinationes insaniae nomine repudiavit.

Cf. Eurip. 859 sqq. Similia vatum convicia invenies apud

Pacuvium (Chrys. fr. 4, fr. inc. 3) et Attium (Astyian. fr. 8).

Dr. H. Düntzer.